



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

**Parisiis, 1644**

III. De commonitorio Romani papae recitato.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

ANNO  
CHRISTI  
419.

mantes Synodum, vel quæ secundum eam formam per omnes clericorum gradus, a summo usque in vltimum, salubriter ordinata sunt, in medium proferantur. Ab vniuerso Concilio dictum est: Proferantur. Daniel notarius recitauit: Nicæni Concilii fidei professio vel statuta sic se habent.

II.

Et cum legisset, Faustinus episcopus plebis Potentinae prouinciæ Italiae, Piceni, legatus Romanæ ecclesiæ, dixit: Iniuncta nobis sunt a sede apostolica aliqua per scripturam, aliqua etiam in mandatis, cum vestra beatitudine tractanda, sicut & gestis superioribus meminimus. Hoc est, de Nicænis Canonibus, vt conferuentur, & \* constitutio eorum, & consuetudo, quia aliqua ordine & Canone tenentur, aliqua consuetudine firmata sunt. De his ergo primitus, si placet beatitudini vestræ, tractemus: & postea cetera, quæ acta vel inchoata sunt, inserta firmabuntur, vt ad sedem apostolicam rescriptis vestris intimare possitis, atque nos vos admonuisse apud venerabilem papam euidenter pateat, licet & capitula actionum iam inserta sint gestis. De ipsis ergo, vt dictum est superius, quid vestræ beatitudini placeat, agere debemus. Veniat ergo <sup>h</sup> commonitorium in medium, vt scire possit vestra beatitudo, quid in eo contineatur, vt ad singula respondeatur.

\* confi-  
tura

III.

Aurelius episcopus dixit: Proferatur commonitorium, quod fratres & confacerdotes nostri in actis nuper allegauerunt, & cetera quæ acta sunt, vel

quæ agenda sunt subsequantur. Daniel notarius recitavit commonitorium: Fratri Faustino & filiis Philippo & Afello presbyteris, Zosimus episcopus: Vobis commissa negotia non latent. Vos ita ut nostra, imo quia nostra ibi in vobis præsentia est, cuncta peragite; maxime cum & hoc nostrum possitis habere mandatum, verba Canonum, quæ in pleniorum firmitatem huic commonitorio inserimus. Ita enim dixerunt, dilectissimi fratres, in Concilio Nicæno cum de episcoporum appellatione decernerent: <sup>k</sup> Placuit autem, ut si episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati episcopi regionis ipsius, & de gradu suo deiecerint eum, & appellasse episcopus videatur, & confugerit ad beatissimum ecclesiæ Romanæ episcopum, & voluerit audiri, & iustum putauerit, ut renouetur examen; scribere his episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua mouerit episcopum Romanum, ut e latere suo presbyterum mittat, erit in potestate episcopi Romani, quid velit, & quid existimet. Et si decreuerit mittendos esse, qui præfentes cum episcopis iudicent, habentem auctoritatem eius, a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit sufficere episcopos, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicauerit.

## IV.

Et cum recitaret, Alypius episcopus Tagasten-